ORATIO
DE
VTILITATE
EX VARSAVIENSI BONARVM ARTIVM
ET SCIENTIARVM ACADEMIA
IN POLONIAM REDVNDATVRA
AD
NOVOS ACADEMICOS
IN IPSIS ACADEMIAE AVSPICIIS
A. D. VII. DECEMBR. A. C. CIↃIↃCCLIII
DICTA
A

P. ANTONIO WISNIEWSKI
E CLERICIS REGVLARIBVS SCHOLARVM PIARVM
IN VARSAVIENSI NOBILIVM COLLEGIO
PHILOSOPHIAE ET MATHESEOS PROFESSORE.

Spectatiſſimum huncce Congreſſum Veſtrum, dum eo, quo par eſt, ſtudio officioque proſequor, multum equidem mihi, multum Vobis, CLARISSIMI AC SAPIENTISSIMI VIRI, plurimum vero cariſſimae Patriae noſtrae gratulandum arbitror. Satis profecto mirari ſimulac gaudere non poſſum, cum hodie in lectiſſimo Virorum eruditorum coetu verſor, cum eos diſſerentes audio, atque ab illis bene multa perutilia, et praeclara doceor! Italiam, (ingenue fateor) Galliam, Germa-

niam, Belgium, Britanniam, nobiliſſimas Europae Partes, videre adhuc, in iisque etiamnum verſari, mihi videor, cum eamdem in Vobis, ad promouendas bonas artes, optimasque diſciplinas, animorum contentionem, qua illae ceteris gentibus praeſtare mirifice ſatagunt, maxima voluptate perfuſus conſpiciam. Non mediocrem idcirco ab exteris, rerum noſtrarum ignaris, genti noſtrae iniuriam inferri reputo, quaſi nobis, neſcio quo ſoli natalis vitio, aut craſſioris aëris iniquitate, vllas vel ſaluberrimas diſciplinas, praeter eas, quae a primis Legislatoribus olim introdctuae ſint, haud amplius aſſequi liceat. Habemus ſane Poloni (vt ſpectanti vel ex hoc praeſenti Iinſtituto abunde liquet) quo et a pinguioris ingenii populis omnino ſecernamur, et illos, qui ſeſe prae ceteris inſolentius iactant, adaequemus. Adeſt nobis, fauentibus Superis, et induſtria et modus ſciendi: adeſt iam prudens docendi diſcendique delectus: adeſt verae ſolidaeque eruditionis amor ac deſiderium: vt quibusuis literariae Reipublicae ciuibus, ſi non palmam praeripere, at in eorum ſocietatem adſrcbi poſſimus. Iam vobis, LECTISSIMI ACADEMICI, non minori iure gratulandum eſſe cenſeo: quorum ſapientiae, nec non praeclaro illius promouendae ſtudio, praeſertim autem veſtro in Patriam amori, recens haec Academiae conſtituendae ratio in acceptis referri debet. TIBI potiſſimum, SVPREME

REGNI

REGNI REFERENDARIE, doctiſſimi huius Coetus PRAESES AMPLISSIME, TIBI, inquam potiſſimum, iſtius Inſtituti debetur gloria: quaſi TIBI parum foret, cum ipſe, viua Bibliotheca, perennare nequeas, publicam hac in vrbe Bibliothecam, ingenti comparatam ſumtu, immortale cum ſapientiae, tum amoris TVI erga Patriam monumentum relinquere, niſi ſimul, ſtabilita hac Virorum doctorum ſocietate, idoneos illi lectores prouideres, honeſtam in ſtudiis aemulationem excitares, atque ita decori vtilitatique Patriae prudentiſſime conſuleres. Cui quidem eam ob rem quantum gratulari oporteat, omnes abunde intelligitis. Etſi vero nemo vnus Veſtrum eſt, VIRI CLARISSIMI, qui non videat, quantum ſplendoris, gloriae, et vtilitatis, ex hoc Inſtituto, tanquam ex vberrimo fonte, in Patriam redundare poſſit: tamen, quia dulce eſt eorum meminiſſe, quae communi bono, et publico feceris commodo, non iniucundum Vobis futurum exiſtimaui, ſi ea breuibus exponere in animum inducerem. Cum autem ad perſuadendum nihil potentius ſit exemplo, hinc, praetermiſſis aliarum rationum momentis, breuitati et anguſtiis temporis obſequendo, vni ab exemplis argumento potiſſimum immorari decreui. Quod vbi, pace veſtra facere aggredior, ſinite me, AVDITORES ORNATISSIMI, ſi non pro rei magnitudine et dignitate, pro viribus certe meis

 ampliſ-

ampliſſimam hanc ſuſtinere prouinciam, dicentemque beneuolentia veſtra iuuare non grauemini.

Bene conſtitutae diſciplinae, quantum ſane dignitatis, et pretii, quantum ſplendoris et emolumenti Regnis omnibus, Rebuspublicis, ac vniuerſae humanae ſocietati afferant, cum nemini ignotum ſit, oleum certe operamque perdere videar, ſi id in ſpectatiſſimo hoc coetu pluribus demonſtrare inſtituam. Quo etenim reguntur populi? Legibus: Quo ditantur? Commerciis: Quo defenduntur? militarium copiarum, Imperatorumque fortitudine. Iam, leges, commercia, militum ac Ducum robur, cui tandem innituntur? Bonis artibus ac ſcientiis. Verum enim vero bonae artes ac ſcientiae, quo fouentur, augentur, ac promouentur? Academiis: quarum ratio atque inſtitutio eo tota ceu ad finem proprium tendit, vt nec politioris Literaturae homines otio diffluant, nec eorum perſpicacia ſibi ſolis, ſed publico laboret bono. Quo fit, vt manibus coniunctis, collatisque in vnum ſententiis, ea in huiusmodi coetibus decerni ſoleant, quae vel praeclare ab aliis inſtituta, maiorem in modum rem literariam amplificent, vel nouis omnino inuentis eam mirifice promoueant, ac illuſtrent. Quae porro arbitramini, AVDITORES, quae florentiſſimis hodie Regnis, Rebusque publicis, antequam eiusmodi

Aca-

Academiis, tanquam totidem reconditioris doctrinae thesauris ac officinis, instructae, ornatae, ac locupletatae extitissent, quae, inquam, fuerit mens, sensusque animorum? Videor mihi etiamnum audire voces illas, quibus non sine gemitu ac intimo quodam doloris sensu identidem conqueri solebant: „Quousque „peregrino habitu in nostris versabuntur oris li„berales artes et scientiae? ecquando ipsis fixam „sedem ac domicilium prouidebimus? Si ab ore „vnius perdocti viri caeteros pendere miramur: „quantum Musis decus ac praesidium futurum spe„randum est, si multos earum aut Parentes aut Edu„catores nacti fuerimus. Vnius quidem Magistra„tu bene regimur: ast cum sapientia, quae vnica „humanae naturae dos est, nulli loco, nulli homi„num sectae addicta sit, tunc demum felicissime „vim suam exerit, vbi quisque, quod recte senserit, „quod diu matureque cogitauerit, quod sagaciter „inuenerit, in publicum liberaliter confert com„modum. Prouisum quidem est apud nos literis „non pauco scriptorum genere, non minus quam „publicarum institutione scholarum. In altero ta„men horum desiderari videtur, quod alii minime „intelligant, qui delectus librorum haberi debeat, „alii ipsa eorundem multitudine obruantur. In „altero videmus, saepenumero Magistrorum ob„esse imperitiam, atque ideo corruptam in scholis „studiorum rationem magis magisque reformari

„debe-

„debere. Quid igitur (aiebant illi) faciendum eſt „nobis? qua ratione huic occurrendum malo, et „publico proſpiciendum commodo? Certe, nihil „magis oportunum fecerimus, quam ſi ad inſtituen„das Academias animum viresque omnes adiece„rimus. His etenim optimae quaeque artes et di„ſciplinae, contubernales quodammodo et heredi„tariae redduntur. Hae abunde ſupplent, quid„quid alibi in ratione diſcendi docendique deeſſe „videtur. Ex his, ceu e ſpeculis quibusdam, li„terarum proſpicitur ſaluti. Hae priuatorum ſtu„diorum expugnant errores, controuerſias com„ponunt, veritati ſine fuco et inuidia famulantur, „hae denique corrigendis, ſtabiliendis, obſeruan„disque legibus, introducendis, exequendis, au„gendisque commerciis, ſolertiae, dexteritati, glo„riae militarium copiarum, maiorem in modum „conſulunt et inſeruiunt.„ Iſtis itaque ſalutaribus animi curis ad effectum perductis, breui Regna illa et Respublicae, virorum eruditorum feraciſſimae, legum obſeruantiſſimae, ditiſſimae, fortiſſimaeque euaſerunt. Aſſecutae ſunt, quod tantopere in votis habuerant, pulcherrimo aliis propoſito exemplo, quanta ſcilicet vtilitas ex inſtitutis Academiis redundare poſſet. Has ſi illis hoſtes detraxerint, idem fecerint, ac ſi lucem ſoli, vitam et calorem animantibus detraxiſſent.

Fidem

Fidem Veſtram hac in re appello, ACADEMICI. Nonne, vt ex hiſtoriae monumentis abunde conſtat, nonne eo vſque in Graecia peregrinae fuere bonae artes et ſcientiae, et ſummis impenſis itinerumque faſtidio comparabantur ex Aegypto, donec a diuino Platone in Ceramico, Athenienſi ſuburbio, in horto Muſis conſecrato, et gymnaſio ab Academo dicto, inſtituta fuit nobilis illa Academia: ex qua progreſſi ſunt, cum ſummo decore et vtilitate Graeciae, Ariſtoteles, Xenocrates, Demoſthenes, ſexcentique alii, ſumma ſapientia celeberrimi. Nonne eousque Italia, comparata Graeciae, barbara audiit, donec Romani Graecos imitati, vel in illam ipſam Academiam, vel Lyceum, vel Zenonis porticum ſe contuliſſent, vel ſimiles literarios conuentus inſtituiſſent, vnde Lucretius, Cicero, Varro, Titus Liuius, Virgilius, Horatius, Ouidius, Vitruuius, Viri optime de literis meriti, feliciſſima ſcientiarum ſorte prodiere. Et poſteaquam Vandalorum, Gothorum, Langobardorumque armis attrita Roma, omnes fere humaniores literae inde exulare coepiſſent, non aliter demum priſtino reſtitutae nitori, niſi cum a magnis Ducibus Mediceis, adlectis hinc et inde viris clariſſimis, florentiſſima quaedam Academicorum ſocietas (Florentinam intelligo) inſtitueretur. Porro ex ea Chriſtophorus Columbus, Americus, Gali-

laeus Galilaei, Torricellius, Michael Angelus, Raphael, Titianus, Taſſus, Arioſtus, Palladius (vt longam aliorum praeteream ſeriem) maximo totius fere humani generis bono proceſſerunt. Nonne eousque Galliae, Britanniae, Germaniae, recentiſſime autem Moſcouiae, ad probrum et dedecus ſuccenſebatur, ceu in cultis omnino gentibus, atque inter fas et nefas haud accurate diſcernentibus, donec optimo exemplo, Pariſinae inprimis Academiae, Societas Londinenſis, Berolinenſis, Petropolitana ac tandem Goettingenſis ſtabilitae fuerunt. Ex quibus, quot, quantique Viri, de Europa, deque vniuerſa Literaria Republica, meritiſſimi, progreſſi ſint, longum mihi foret, quos aliunde noſtis, quos nulla tacebit aetas, nulla obliterabit vetuſtas, recenſere.

Enimuero quamuis his exemplis ſatis ſuperque demonſtratum ſit, quanta in Patriam quoque noſtram ex inſtitutione praeſentis Academiae ſperanda ſit vtilitas: tamen, vt rei veritatem tanto clarius oculis veſtris ſpectandam ſubiiciam, e re futurum exiſtimaui, paucis vos adhuc de Gallia ſeparatim monere. Audite, quae facies huius nunc celeberrimi Regni, ante inſtitutionem Academiarum ſub Magno Ludouico, fuerit: quae ego quidem omnia, non vllius inuidiae,

diae, aut obtrectationis causa, sed potius honoris gratia, hic commemoro. Gentem hanc, quae nunc non literarum solum gloria, sed et politioris humanitatis cultura, nulli primas concedit, densissimis ignorantiae tenebris adeo obrutam olim fuisse legimus, vt (referente Voltario in Saeculo Lud. XIV.) Telescopiorum, et Machinae Pneumaticae experimenta, haud aliter quam Magica arte fierent, attonita spectaret. Si quis noui quid, etsi sanctissimum, circa occultas naturae leges in medium proferre conatus erat, si non ipsa haeresis, saltem ingens aliquod contra Superos crimen, nullisque expiandum hostiis piaculum credebatur. Esse profecto Magas, easque ad ignotos quosdam Dianae lucos delatas, choreas ducere: esse Daemonibus obsessos: mortuorum corpora a strigibus circumferri, nocereque amicis, non secus ac dogmata fidei defendebant. Fabulae et nugae typis impressae, tanquam res doctissimae placebant omnibus, res vero doctissimae, pro fabulis et nugis habebantur. Inuidiam inter et aemulationem discrimen nullum erat: praeter scommata nihil aut audires, aut cerneres. Quorum muneris erat, e sacro suggestu verba facere, non doctrinam Euangelicam, non Patres fidei praecones, sed Curtium, et Iustinum, Virgilium et Ouidium, ac plerumque fabulas Aesopi, in te-

ſtimonium adducebant. Cauſidici vero, adminiſtratoresque iuſtitiae, commune Ius Gentium, Iusque Patrium, ne a limine quidem ſalutarant, piis duntaxat aſcetarum monitis ſententias ſuas confirmabant. Nulla in Eloquentia puritas, nulla in Poeſi gratia, veritas nulla in Hiſtoria, in Philoſophia nulla vtilitas. Summa tamen in omnibus ſtudiis fiducia, audacia, temeritas: ſumma in ignorantia voluptas: tantoque ſe quisque doctiorem exiſtimabat, quanto magis a Muſis foret alienus. Quid hic commemorem, Regnum iſtud opibus exhauſtum, neruis et viribus deſtitutum, inteſtinis, iisque continuis, agitatum diſcordiis? Quid, inquam, commemorem, aerarium publicum exhauſtum, diſciplinam militarem peſſumdatam, legum auctoritatem diminutam, iura maieſtatis violata, omnia denique humana diuina ſusque deque permixta, confuſa, et conturbata. Quae porro ratio, quae medela, inueterato huic, multoque annorum tractu inolito occurrit malo? Repetite, repetite memoria, quae dixi, SAPIENTISSIMI ACADEMICI. Ab inſtitutione Academiarum, mutata rerum facie, Galliam euaſiſſe doctiorem, reperietis: poſtquam ſcilicet lectus virorum grauiſſimorum ſenatus falſa detexiſſet, vera ſtabiliſſet, ignorata docuiſſet, occulta declaraſſet. Academicis certiſſime vbiuis gentium, ſuum

ſuum nitorem cum patria, tum latina lingua, Hiſtoria veritatem, Matheſis inuenta noua, Theologia auctoritatem, Philoſophia euidentiam, debet.

Quamuis autem non iam in omnibus his, quae antiquis exprobrantur Gallis, certe in pluribus adhuc, iis perſimiles eſſe putamur ab exteris Poloni: aſt ſperandum eſt, (faxintque Superi) nos exemplo illorum, ceterarumque doctarum gentium, inſtituta hac Academia, ſapientiam gloriamque illarum aſſequuturos eſſe. Demus tantum operam, vt, quod felicibus auſpiciis incepimus, non minori alacritate et ſtudio proſequamur. Conſulamus Patriae, quantum debemus: debemus vero, quantum poſſumus. Et fiet olim, vt poſtliminio omnes bonas artes ac ſcientias, quibus ſub Sigismundo I. ſub Sigismundo Auguſto, et ſub Stephano Bathoreo hoſpitium conceſſit Polonia, ſub feliciter nobis regnante rediuiuo Romanorum AVGVSTO, propediem reductas eſſe gaudeamus: quae vtique apud nos minime interrupta colonia duraſſent, ſi illarum florem et iura ſimiles Academici coetus conſeruaſſent. Fiet, inquam, vt haec noſtra Societas Politicem illuſtret, Matheſin et Philoſophiam ſtabiliat, a Theologia ſuperuaca-

 neas

neas amputet quaeſtiones, Criticen legibus iuſtis circumſcribat, ipſam quoque, quam cum lacte materno ſuximus, Polonam linguam ſuae reſtituat puritati. Haec ſi euenerint (quae, non ex aruſpicum extis, neque ex vano auium garritu, ſed e VESTRIS ſtudiis, atque eximio boni communis amore, certe futura auguror) modicumne Patriae commodis proſpexiſſe videbimur?

Iam quanta Patriae noſtrae vtilitas, ex hoc Inſtituto, vel ideo ſperanda eſt, quod ſub Patrocinio MAGNAE DEI MATRIS hanc noſtram rationem agendi ordimur? Quemadmodum enim varii in Italia Academici, variis ſeſe inſigniunt nominibus, Senenſesque vocantur *Intronati*, Florentini *della Cruſca*, Romani *Humoriſtae*, *Lincei*, *Fanaſtici*, Bononienſes *Otioſi*, Genuenſes *Abdormentati*, Patauini *Ricovrati* et *Orditi*, Vincentini *Olympici*, Parmenſes *Innominati*, Mediolanenſes *Naſcoſti*, Neapolitani *Ardenti*, Mantuani *Inuagbiti*, Papienſes *Affidati*, Anconitani *Caliginoſi*, Peruſini *Inſenſati*, Viterbini *Oſtinati*: ita nos profecto *Deuoti* aut *Mariani* vocabimur, idque tanto maiorem nobis comparabit gloriam, quanto ſpectabiliores ſunt literae iunctae Pietati.

Eia

Eia igitur, SAPIENTISSIMI ACADEMICI! Si Patria nihil nobis eſt carius, ſi ſcientiis nihil iucundius: ſectemur, ſectemur hanc accommodatiſſimam, cum exercendis ingeniis, tum illuſtrandae Patriae, denique bene merendi de literis, rationem. Aemulemur, quae meliora ſunt: ſed ſimul ſedatos geramus animos, ne ſubito damnemus in caeteris, quod non ex animi noſtri proceſſit ſententia. Laudabilis enim aemulatio, ſi ita diſcas, ita doceas, vt aduerſarium conuiciis neutiquam appetas. Ego qui in hoc veſtro florentiſſimo coetu me omnium infimum profiteor, DEVM immortalem precabor, vt ſub Auſpiciis Deiparae, cuius intemeratis natalibus primum hunc Academicum Actum ſacratum eſſe voluiſtis, omnia proſpera, omnia digna Veſtris ſtudiis et conſiliis, eueniant.